Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26111
Copyright: Admont, Benediktinerstift

---

moyses mansuetudinem. finees zelum. iosue constantiam. iob patientiam. gedeon fidentiam. samuel temperanciam. dauid humilitatem. salomon prudentiam. ezechias obsecrationem. iosias religionem. helyas abstinentiam. helyseus honorificentiam. esayas securitatem. ieremias sinceritatem nos informauerunt. In nouo decem quoque prophete ut pliades micuerunt. dum nos concordiam imbuerunt. et ezechiel benignitatem. daniel fidelitatem. tres pueri laudationem. tobias elemosinam. hester honestatem. iudith modestiam. machabei sufferenciam exemplis ostenderunt. In quarta uigilia stella maris uirgo maria splendida flamma rutilauit. dum iter ad eternum solem humilitate atque castitate demonstrauit. In hac quoque iohannes baptista uelut placidaria stella resplenduit. qui peccantes penitenciam docuit. In hac est uerus lucifer decus astrorum christus lux angelorum fulsit. qui fulgore eterni diei astruxit. dum nos caritatem instruxit. In hac nichilominus rutilantia sidera flammiuomum iubar per orbem sparserunt. dum apostoli dilectionem. martyres fortitudinem. confessores sobrietatem. heremite mortificationem. uirgines pudiciciam. uidue continentiam. nos instruxerunt. Illi uero omnes ut astra in hac nocte claruerunt. et nobis iter ad eternum diem prebuerunt. Transacta autem ista nocte uerus sol in uirtute sua splendebit. cum filius dei splendore patris in maiestate sua ad iudicium fulgebit. tunc lunam scilicet ecclesiam de tenebris exemptam eterna claritate illuminabit. omnesque stellas in solis gloriam commutabit. Tunc harum uigiliarum excubitores remunerabit. quando audicio transiens in nuptiis agni eis eterna dulcedine ministrabit. Igitur karissimi in hoc aduentu domini sobrie. iuste. et pie uiuamus. quatenus in secundo aduentu leti eum suscipere et in eternum cum eo regnare ualeamus. Ubi oculus non uidit. et cetera.

Sermo de sancto Andrea apostolo.

Dum celebrabant gentes natalicia regum. hodie celebrat ecclesia natalicia martyrum. Illi quidem de mortali matre nati in hanc mortalem uitam intrauerunt. Sed isti de immortali matre ecclesie uitam adierunt. Sicut enim filii regum non tamen omnes de matre prodeuntes hunc mundum intrantes ad terrenum regnum gignuntur. sic filii dei de hoc mundo transeuntes in eternam uitam migrantes ad celeste regnum nascuntur. Quia enim boni milites hostes fortiter pugnando deuicerunt. et causa summi imperatoris augusteque ecclesie sanguinem suum fuderunt. ideo uictoria petita iam coronati coheredes regni celorum esse meruerunt. Legitur quod beatus Iob inter omnes orientales magnus fuerit. et vii. filios tresque filias genuerit. et filii sorores ad conuiuium inuitauerunt. Hec quamuis sint gesta. tamen propter figuram sunt scripta. Spiritus sanctus namque cui preterita non abeunt. futura non succedunt. sed omnia presencia semper assistunt. que fecit et uentura sunt per eorum in scriptura contexuit. futura apostolorum facta. Idem quippe spiritus qui per patriarchas sacramentum septem apposuit. per apostolos et eorum sequaces eandem exposuit. Gesta enim precedencium. umbre erant sequencium. Ita quoque Iob quod dolens sonat in figura christi fuit. qui pro nobis in passione doluit. Hic in passione extitit magnus. inter omnes angelicas dignitates. Septem filios habuit. quos christus eo